

60

A R R I A N I

habeant Aegyptiorum, aliorum oportere uideri praua: aut si Iudæorū bene sint constituta, perperam se habere quorumuis aliorū. Quidni? Vbicunq; porrò ignoran-
tia, ibidem quoq; inscitia, & rerū quoq; necessariarum
imperitia: Assensus est. Tu itaque cum sic sentias, in re-
liquum tempus aliud nihil curabis, nec alij rei incum-
bes, quām ut perdicas cuiusmodi sit instrumentū per-
cipiendī eas res quæ nobis secundum naturam conue-
niunt, eo'que fretus discernas singulas res tibi oblatas.
Cæterū quod ad præsentem disputationem pertinet,
quod possum in re proposita te iuuabo. Insitus à natura
erga suos amor, mihi secundum naturā & honestus ui-
detur: Quidni? Vtrū uero ille ipse amor à natura pro-
ficiuntur & honestus est, quod autem rationi est con-
gruens non itidem: Nequaquam. Ergo inter se non pu-
gnant, amor nativus, & ratio recta: Nec mihi uidetur.
Nōnne si pugnant, si unū secundum naturā sit, alterum
necessariō naturæ fore aduersum: Annuit. Ergo si quid
tale repertum fuerit quod simul & amore illo & recta ra-
tione sit præditum, cōfidenter affirmabimus & rectū &
honestum ipsum esse: Sic esto, inquit. Proinde deser-
re oppresū morbo puerulum, ac inde discedere, quòd
recta ratione careant, ne tu quidem opinor repugna-
bis. Restat ut, amorine factum illud sit ascribendum, cō-
sideremus. Contemplabimus istud hoc modo. Quāro
utrum tu cùm paterno amore in puerum afficerēre, re-
ctè feceris in fugam te conīsciens, ac deserens ipsum:
Nōnne mater etiam charitate illam naturali complectē
batur? Evidē fateor. Quare matris quoq; erat, ut eam
discedens relinqueret: an istud non conueniebat? Non.
An nutrix nō afficiebatur? ardenter certè amabat: Itaq;
nec ipsam par fuit adesse, sed destituere: Nequaquam.
Quid, Pædagogus num affectu illo carebat? Vtique
& is adamabat. Ergo et hunc desertorem abire decebat,
ac solum